

præcipit: *Sic dixit Dominus DEus Israel ad me, sume calicem vini furoris hujus de manu mea, & propina eum omnibus gentibus ad quas ego mitto te, ut bibant & tremant, & insaniant propter gladium, quem ego mitto inter eos.* Judicia DEI sæpe in scriptura sub symbolo calicis vini calidi & inebriantis proponuntur, & incolæ, quibus calamitates immittuntur sub symbolo bibentium. Conf. Ps. LXXV. 8. Job. XXI. 20. Es. LI. 17. Ps. XI. 6. & LX. 3. Lament. IV. 21. Ezech. XXIII. 32, 34. Jeremias præsentat Nebucadnezarem omnes populos inebriantem; Habakuk qui loquitur de executione ejusdem vaticinii, tribuit ipsi Nebucadnezari, quod Jeremias præfiguraverat. Bene Hieronymus ad nostra verba: *Dicuntur hæc per metaphoram ebrii hominis & nuditate turbati: quod Nebucadnezar omnes inebriaverit calice furoris sui, cunctosque exspoliatos viderit & captivos, & illi, qui quondam gloriosi fuerunt, in ultimam redacti sint servitutem.*

*Qui admovet vinum calidum tuum.* Hebr. מספח חמתך addens calorem tuum. LXX. vertunt: *Ve qui potat proximum suum subversione turbida.* Hi loco mesappeach legerunt מספחת plaga lepræ, quod metaph. de subversione interpretati sunt, male. Vulg. *mittens fel suum.* Videtur legisse משלח mittens; Chald. וזלף ביחמא & effundit cum calore. Sic vertit ex sensu sed voces non exprimit. ספח est congregare & adjungere. 1. Sam. II. 36. *junge me ad unum sacerdotiorum,* 1. Sam. XXVI. 19. Eadem notio invenitur in ספיה germen sine satiatione per se crescens, & terræ adharens. Levit. XXV. 5. & II. Job. XIV. 19. Jes. XXXVII. 30. Quam vocem quidam Græci & LXX. vertunt αὐτόματα, quæ sponte nascuntur & terræ semper adhærent. Ex eadem notione descendit מספכת plaga quædam lepræ, quæ adhæret corpori. Levit. XIII. 6. Sic מספח est adjungens, admovens alicui aliquid. Altera vox חמתך etiam obscura est, proprie denotat calorem, est enim חמה ex caluit.

Z

caluit.